

stigio confident, sæpe persuasum est, si in ingenti variarum molestiarum fastidio & in eo, in quo sedent, honoris & majestatis culmine voluptatibus, vulgo non concessis, indulgeant, eoque imperioribus offensionem præbeant, gravioris id peccati rationem habere non posse, cum nec sanctissimorum Regum exemplo destituantur & à consummatis Divini humanique juris scientia consultis, ad quantam antecessorum nemo penetrare antea potuerit, gravibus ex omni jure fundamentis defendatur. Ita denique cum plerisque nostrum comparatum est, ut ad certos excessus vel ex indole temperamenti nostri, vel ex advesatione juvenilis vitæ, vel ex inveterata cum aliis consuetudine, ita propendeamus, ut ab iisdem difficillime remittere queamus, atque ut eo liberius indulgere iisdem possimus, qualescunque tantum Christianæ vitæ nævos & humanæ infirmitatis peccatilla esse nobis imaginemur, cum Divino judicio res aliter se longe habeat & sub musca, ut ita loquar, lateat elephantus. Quam igitur jure meritoque necessarium judicant libelli nostri precatorii, ut ad peccatorum, etiam oculis nostris occultorum, id est, nobis vel incognitorum, vel judicio nostro parvi habitorum, & notitiam & confessionem, non minus ac ipsa confessione nostra grandium & mortalium, adducamur? Orare proinde nos David docet: *delicta quis intelligit? Ab occultis emunda nos Domine.* Psalm. XIX, 13. Non ac si parvi facere magna peccata, eaque sine curatiori scrutinio sub occultorum schemate abscondere debeamus, sed quod quæ instituto severo examine in grandium numero, nostro genio nimirum placentes, deprehendere non potuimus, grandia tamen reapse sint & DEUM offendant. Petendum igitur à DEO esse, ut oculos nobis aperiat, quo eorum granditatem, nobis ex delectationis suavitate tectam & velatam, retegere velit, ne venenum hoc abditum & impervium animam nostram incautam enecet atque trucidet. Quemadmodum autem pro poenitentia orandum esse utique docet & præcipit Ecclesia, ita non minus & pro præcipua ejus parte, fide in Christum concipienda & conservanda. Quas inter preces eminet solenne canticum, antehac singulis Dominicis festisque diebus cantari solitum: *Nun bitten wir den heiligen Geist/ umb den rechten Glauben allermeist.*

XIX. Quo accedit VI. consensus cum veterum tum recentium Ecclesiæ doctorum. Atque hi quidem in variarum precum libris, qui